Jahrbuch des Pädagogiums

zum

Kloster Unser Lieben Frauen in Magdeburg

und

Einladung zur öffentlichen Prüfung aller Klassen

Montag, 31. März 1879.

Neue Fortsetzung.

Drei und vierzigstes Heft.

Inhalt: a) Observationes criticae in Taciti qui fertur dialogum de oratoribus vom Oberlehrer Dr. Karl Knaut.
b) Schulnachrichten. Vom Propst und Director Prof. Dr. Albert Bormann.

Magdeburg.
Druck von E. Baensch jun.

1879. Progr. Nr. 200.

Observationes criticae in Taciti qui fertur dialogum de oratoribus.

scripsit

C. Knaut,

phil. dr.

Legendo illi dialogo, quem Tacitus de oratoribus plerisque viris doctis scripsisse videtur, quisquis ita operam navaverit, ut diligentius vel in singulos locos vel in totius libri orationem et originem inquisiverit, is mira quadam cupiditate ductus res diu disceptatas diiudicandi iterum ac saepius revocabitur ad libellum pertractandum. Tot enim tantaeque undique existunt quaestiones et difficultates, ut unde exordium capiat dissertatio difficilius sit invenire quam habere exitum. Quid igitur mirum, quod his decem annis magnus virorum doctorum numerus summam operam et diligentiam impenderunt in Taciti verba aut explicanda aut coniecturis emendanda? Nam postquam Michaelis (Lipsiae 1868) editionem ita confecit, ut artis criticae firmissima fundamenta iacta videantur, non modo Halm (iterum recognov. 1871), Andresen (in usum scholarum edid. Lips. 1872, editionis Orellianae alteram recognit. confecit Berolini 1877) Nipperdey (Berolini 1876, inde a cap. 13 *suo periculo, illius nomine et exemplo* dialogum apparatu critico instruxit R. Schoell), Peter („erklärende und kritische Schulausgabe" Jenae 1877) librum illum aut solum aut una cum aliis Taciti scriptis denuo ediderunt, sed etiam Andresen (emendationes in Taciti dial., Acta societat. philol. I,1 Lipsiae 1871) Meiser (Progr. Eichstätt 1871) Vahlen (commentationes in honorem Th. Mommseni scriptae p. 660 sqq., Berol. 1878.) Steuding (Beiträge zur Textkritik im Dialogus Progr. Wurzen 1878) alii quos enumerare longum est, mirum quantum studium collocaverunt in sanandis locis corruptis. Deinde ut omittam eos, quorum opera nihil in hac re videtur esse profectum, (ut M. Oberbreyer, dissertat. inaugur. Rostochiens., Berolin. 1875) hoc loco mihi non videntur praetereundi cum alii, tum Nipperdey, Halm, L. Mueller, Ritter, Ribbeck, Baehrens, qui et in Museo Rhenano et in novis annalibus

philol. et paedag. de multis dialogi locis disputationem instituerunt. Haec tanta virorum doctorum multitudo cum in eiusmodi studiis versata sit, haud scio an videatur esse audaciae ad eandem rem accedere, sed dialogi verba tam multis scatent vitiis et erroribus, ut aureus, quem dicunt, libellus dignissimus sit, cui omnes pro virili parte subveniamus.

Neque vero quisquam ex eis viris, quos modo dixi, disceptavit controversiam illam iam diu motam, de qua Lange, Dronken, Eckstein, Wittich, Weinkauff, Steiner alii in utramque partem disputaverunt, sitne Tacitus iure illius libelli auctor iudicandus: nisi forte compositum esse dialogum a Tacito negasse nobis videtur Andresen (edit. Lips. praef. p. 1—2) aut confirmasse Peter, (praef. 14—18), quorum uterque rem paucis verbis tamquam praestringit.[1] Et cum mihi quoque difficillimum esse videatur, paucis explicare, omniumne librorum manu scriptorum auctoritas labefactetur orationis dissimilitudine, quam inter dialogum et reliquos Taciti libros intercedere nemo negabit, omissa illa quaestione de nonnullis locis ita dicere mihi liceat, ut qua ratione emendari possint, proponam atque proferam. Sed vereor, ne haec res parum procedat, nisi certis adminiculis usi ex instabili, ut ita dicam, codicum solo et procedentibus lubrico ad artis criticae arcem enitamur. Cuius rei adiumenta unde petantur, haud scio an intellegamus, si eadem via pergemus, quam ingressi sunt Peter et Andresen. Nam quicunque mediocriter in legendo dialogo versatus est, orationem Taciti vel si quis est alius libelli auctor — huius autem scriptoris nomine in re nondum diiudicata uti mihi liceat — nonnunquam accedere proxime ad Ciceronis verba facile concedet. Neque haec res fugit viros illos doctos, sed recte miramur, quod ad difficultates tollendas Ciceronis libros non satis illi adhibuerint. Deinde in ipso dialogo est singularis quidam dicendi usus et orationis forma, qua tamquam ex notis, utrum locus corruptus sit iudicandus necne, uno quasi obtutu cognoscamus.

De orationis Taciteae et Ciceronianae similitudine.

Multi eorum, qui dialogum a Tacito scriptum esse existimant, alio tempore librum negant potuisse componi, nisi cum artis rhetoricae studiis ille deditus permultum versaretur in Ciceronis libris perlegendis. Ex hoc fonte sermonem illum fluxisse et ab annalibus historiisque discrepantem et plurimorum eiusdem aetatis scriptorum orationi dissimilem[2]. Ac ne ei quidem viri docti, qui propter orationis sententiarumque similitudinem alii alium libelli auctorem esse putant, ut Weinkauff Tacitum[3], Lipsius

---

[1]) Scripsit de hac re (cf. Literar. Centralbl. 1878, 51.) Jansen, de Tacito dialogi auctore, Groningae 1878, quam dissertationem inspicere mihi non licuit.

[2]) Steiner, Progr. Kreuznach 1863 p. 19—20, Peter praef. p. 2, 17.

[3]) Progr. Köln 1857, 1859.

Quintilianum, Hesse Plinium minorem[1]), Wittich eundem virum[2]), cum compluribus Ciceronis libris dialogum dicendi genere coniunctum esse negant. Quid quod in ipso libro, de quo disputamus, praeter carmina parum bona (cap. 21, lin. 32 edit. Michael.) auctor nonnullas orationes aliosque summi illius oratoris libros se legisse profitetur? Neque enim solum eum librum, qui inscriptus erat Hortensius (16,31), Brutum sive de claris oratoribus librum, unde Ciceronis initia, gradus, eloquentiae educatio intellegi possent (30,12) orationes pro Quinctio, pro Archia poeta, pro Milone, in Catilinam, in Verrem, in Antonium habitas Tacitus se novisse plane et aperte dicit, sed etiam ex *impudentiae* illo *ludo,* quo nomine rhetorum scholas appellat et ex *rhetorum officinis,* quas Haase rectissime inseruit, (32,33) facile apparet etiam Ciceronis libros, qui inscribuntur de oratore et orator, dialogi auctori non ignotos fuisse. Omnium vero scriptorum, quae Cicero composuit, maxime secutum esse Tacitum tres illos de oratore libros cum iam Peter (praef. p. 2) aliique viderint, mihi non tam explicandum verbis quam exemplis comprobandum videtur.

Ac primum quidem utriusque dialogi ratio et compositio fere est eadem. Bini enim existunt viri, celeberrima tum ingenia fori, qui de eloquentiae arte et de oratoris officiis disputationem ita instituunt, ut *quae illi viri omnium praestantissimi clarissimique senserint* (de orat. I, 2, 4, eisdem fere verbis utitur Tacitus, dial. 1, 16: *quae a praestantissimis viris . . . . accepi) veteris memoriae non sane satis explicata recordatione* (dial 1, 15: *non ingenio sed memoria et recordatione)* ab adolescentulis, qui una adsunt, percipiantur et teneantur. Neque dissimiles esse aut mores aut indolem eorum virorum, qui apud Ciceronem et Tacitum in utramque partem disputant, quo facilius intellegamus, comparare mihi liceat quae de Apro audimus (dial. 2, 17. *Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem et industriae et laboris gloriam habiturus si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur)* cum hisce Ciceronis verbis (de orat. II, 1, 4): *Sed hoc fuit in utroque eorum — in Antonio et Crasso — ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur.* Omnes igitur, quos modo dixi, viri id operam dabant, ut artis rhetoricae praecepta se didicisse summaque eruditione et doctrina imbutos esse dissimularent. Accedit quod Aprum et Secundum prope abesse ab Antonii et Crassi ingenio, eruditione, dicendi facultate docemur in duobus illis libris (cf. dial. 2, 11 sqq., de orat. III, 4, 16). Ut igitur ei, qui primas partes agunt, quamquam de doctrina et eruditione alii aliter iudicant, tamquam ingeniorum cognatione quadam inter se coniuncti videntur, ita in utroque colloquio postquam in prima disputationis parte causa, ut ita dicam, et argumentum proposita sunt, alii viri interveniunt

---

[1]) Progr. Magdeburg B. M. V. 1831.

[2]) Seebode et Jahn, Archiv. V, 267—292, maximeque de Plinio 285—292.

eloquentiae studiosi et intellegentes, qui se vereri dicunt, ne intempestivi sint. Ita cum in Crassi Tusculano Q. Catulus et C. Julius adessent, ille: *frater*, inquit, *me exoravit mehercule verentem ne molesti interveniremus; . . . . . nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat* (de or. II, 3, 14). Materni autem cubiculum ingressus Messala haec dicit: *num parum tempestivus interveni secretum concilium et causae alicuius meditationem tractantibus?* [1]) Quid? qui participes sunt colloquii, cum aut aggrediuntur ad dicendum aut finem faciunt sermoni, nonne eorum vultus, gestus, habitus saepius eisdem fere verbis describitur? Ut enim ex multis exemplis unum afferam, satis conveniunt haec Ciceronis: (I, 9, 35) *tum Scaevola comiter, ut solebat* cum Taciti verbis, quae legimus cap. 11, 1: *Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat.* [2])

Dixerit quispiam haec omnia a duobus illis auctoribus non consilio sed casu ita esse libris inserta, ut hic illius opus neque legerit neque imitatus sit. Quod fieri potuisse ne existimes, legendo percurras, quae verba Taciti contulerunt cum Ciceronis sermone consimili Peter (praef. 3—5) et Andresen in adnotationibus utriusque dialogi editionis; meum est hoc loco aut quae viros illos doctos fugerunt aut quae omissa sunt, proferre. Sed ne longius vagetur oratio, ex solo primo de oratore libro ea videntur conquirenda, quae sententiis et verbis Taciteis similiter sunt aut excogitata aut dicta neque ab editoribus illis aut in medium prolata aut satis spectata sunt. Atque has habemus in primo de oratore libro et in dialogo qui fertur Taciteo sententias simillimas.

1) praeter locos iam ab aliis allatos de animorum regendorum facultate oratori necessaria haec legimus:

de orat. I, 14, 60: num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam extinguendos, quod unum in oratore dominatur sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur.	dialog. 31, 12 . . . . nemo dicere potest nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum. 31, 15: ex his fontibus etiam ista profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit, quid ira, promptius ad misericordiam impellat, qui scit, quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur.

2) Orator qualis esse debeat, his verbis Cicero exponit:

I, 15, 64: is orator erit . . . ., qui quaecunque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate	30, 29: is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum cum voluptate audientium possit.

---

[1]) Minus apte Peter affert et cum his comparat Ciceron. d. republ. I, 11, 17.

[2]) Disseruit de his rebus Klossmanni, ut ait, doctrina adiutus Eckstein, prolegg. in Tacit. dial. Progr. Halis Saxon. 1835 p. 76—79.

et memoriter dicet cum quadam actionis etiam dignitate.

I, 32, 144: praecipitur primum, ut pure et latine loquamur, deinde ut plane et dilucide, tum ut ornate, post ad rerum dignitatem apte et quasi decore.

3) Omni artium et litterarum genere eruditum esse necesse est oratorem.

I, 16, 72 neminem esse in oratorum numero habendum (iudicat Crassus), nisi est eis omnibus artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus; quibus ipsis si in dicendo non utimur, tamen apparet atque exstat, utrum simus earum rudes an didicerimus.

31, 36 eum informamus, qui quasdam artes haurire, omnes libare leviter debet (Sillig, Michaelis; — fortasse: omnes liberales libare debet?) 32, 6: multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat atque ubi minime credas eminet atque excellit.

4) Oratio Crassi comparatur cum opulenta et referta domo I, 35, 161: tamquam in aliquam opulentam et refertam domum venerim et sqq.

22, 18 sqq.: oratorem sicut locupletem ac lautum patrem familiae non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, etc.

Possum multa alia exempla proferre si aut omnia conquirere velim ac non ab aliis omissa colligere aut novum aliquid comprobandum videatur; sed in re notissima satis erit haec commemorasse. Multo enim maior erit numerus eorum locorum, in quibus eisdem fere verbis utuntur dialogi, qui est de oratoribus auctor atque Cicero. Quid? tantam verborum similitudinem nonne saepius invenimus, ut ab hoc illum multa accepisse luce sit clarius? Sed ut ex his quoque omittam, quae iam ab Eckteinio, Petero, Andreseno, aliis prolata sunt, haec mihi digna videntur, quibus quanta sit saepissime verborum similitudo, facile comprobetur.

1) I, 1. 1. animum ad studia referendi.	30, 5. referam necesse est animum ad eam disciplinam.
2) I, 4, 15 excitabat eos magnitudo causarum.	37, 18. accedebat magnitudo causarum.
3a) I, 6, 21. ut omni de re, quaecunque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur.	31, 11. de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi . .
b) I, 11, 48: sin oratoris nihil vis esse, nisi composite ornate copiose loqui.	30, 28. is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere possit.
c) I, 13, 59. qui de omnibus rebus possit copiose varieque dicere.	
d) I, 14, 62 ipse ornate copioseque dixisset.	

4a) I, 7, 24. cum Drusi tribunatus infringi debilitarique videretur.	39, 10. debilitatur et frangitur eloquentia.
b) I, 26, 121. me fractum et debilitatum metu viderit.	
5) I, 8, 31. sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita.	21, 13. oratio; est enim verbis ornata et sententiis.
6) I, 8, 38. plura detrimenta quam adiumenta importata.	3, 22. ipse tibi negotium importasses.
7a) I, 11, 46. oratorem in iudicia et contiunculas tamquam in pistrinum detrudi.	32, 20. in paucissimos sensus et augustas sententias detrudunt eloquentiam.
b) I, 28, 130: ad id, quod facere possit, detrudendum puto.	
8a) I, 11, 47. verbi controversia torquet Graecos.	25, 3: nominis controversiam movit Aper.
b) I, 23, 107 in verbi controversia posita.	
9) I, 12, 54. oratio gravis et ornata et hominum sensibus ac mentibus accommodata.	21, 13. (oratio) verbis ornata et sententiis et iudicum auribus accommodata.
10a) I, 13, 56. cum illi in dicendo inciderint loci. b) I, 15, 64. quaecunque res inciderit. c) I, 15, 67. sin quae res inciderit.	31, 40. incidunt enim causae plurimae; — quamquam hoc verbum incidendi facile concesserim saepius ab illius aetatis scriptoribus usurpari, ut a Quintiliano VII, 1, 19 potest incidere quaestio VII, 4, 28 potest materia incidere.
11) I, 13, 57. tenui quodam exsanguique sermone disputant.	18, 27. Calvum visum esse exsanguem et aridum.
12) I, 15, 65 licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat atque amputet.	32, 24. eloquentia nunc circumcisa et amputata.
13) I, 16, 73. ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accessit.	32, 13. tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit.
14) (Apollonius) irrisit, ut solebat, philosophiamque contempsit.	15, 1. non desinis, Messala, nostrorum temporum studia irridere et contemnere.
15) I, 18, 84. non quo aperiret sententiam suam.	a) 16, 5. aperiam cogitationes meas. b) 32, 34. causas, quas aperiri aequum est.
16) I, 24, 111. ne has meas ineptias efferatis.	32, 39. ineptiis meis plausisse.
17) I, 25, 113. naturam et ingenium ad dicendum vim afferre maximam.	10, 12. quibus natura sua oratorium ingenium denegavit.

18) I, 25, 117: neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream.	10, 11: neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus.
19) I, 31, 138. ad persuadendum accommodate dicere.	a) 30, 29. ad persuadendum apte dicere. b) 21, 13. oratio auribus iudicum accommodata.
20) I, 31, 142. oratoris vis et facultas.	30, 26. oratoris vis et facultas.
21) I, 32, 147. exercitatione quasi ludicra praedicere ac meditari.	10, 25. ubi ludicras quoque artes exercere honestum est.
22) I, 36, 166. in oratoris instrumento tam lautam supellectilem nunquam videram.	a) 22, 21. instrui non solum supellectile b) 31, 24. temperabit orationem instrumento parato et ad omnem usum reposito.
23) I, 38, 172: ceteris armis tueri atque defendere.	7, 9. tueri atque defendere.
I, 53, 228. patris recordatione et memoria fletum movere.	1, 15. opus est memoria ac recordatione.

Adde multa alia, quae ab aliis commemorata non dubitavi tacere et intelleges cum alia Ciceronis scripta, tum tres illos de oratore libros non modo, ut ait Andresen, ad firmandas coniecturas sed etiam ad errata mendaque reperienda et ad verum investigandum posse adhiberi. Sed quoniam de aliis summi oratoris libris rhetoricis mihi propositum est facultate data alias disserere, angustis finibus et terminis ita circumscribere liceat hanc disputationem, ut ratione habita primi de oratore libri nonnullos dialogi locos aut ab aliis recte emendatos esse coner comprobare aut ipse sanare coniecturis.

Ac primum quidem viri docti duas lacunas statuendas esse rati alii alia verba eis, quae in libris manu scriptis leguntur, addiderunt. Ursinus enim, cum tria genera esse orationum videret, non modo de iudiciis deliberationibusque, sed etiam de laudationibus in cap. 31, 9 dicendum esse existimavit. Cuius auctoritatem secuti, etsi plerique illud *de utilitate, in laudationibus* inseruerunt, ut Muretus, Acidalius, Michaelis, Nipperdey, viri de Taciti libris optime meriti, tamen nemo adhuc mihi occurrit, qui Ciceronis testimonium excitaret ad sententiam comprobandam. Alii enim, in quibus Andresen, (edit. Orell. p. 128, not.) nonnulla Quintiliani verba afferunt, quibus rectam et veram esse illam Ursini coniecturam demonstrent, alii, ut Dronken, Schulze quicquam excidisse negaverunt, cum ipsum dialogi auctorem duo genera materiarum apud rhetores tractari in cap. 35 exposuisse dicerent. Sed mihi melius respici videntur haec quae antecedunt: *eis artibus, in quibus de bonis et malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur.*, ex quibus haud scio an recte suspicemur etiam in illis verbis, de quibus disserimus, tria genera dicendi esse commemoranda. Quodsi cum animis nostris recordamur, nulli totius dialogi parti cum Ciceronis de oratore libris propiorem certioremque, ut ita dicam, esse

cognationem, quam tribus illis capitibus, quae sunt 30—32, mihi non errare videor, quod haec Ciceronis verba ad illum locum emendandum adhiberi posse arbitror (de or. I, 31, 141): *certosque esse locos, quibus in iudiciis uteremur, in quibus aequitas quaereretur, alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus, alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur.* — Neque enim dubito, quin Tacitus eius oratoris, quo maiorem fuisse dictitat neminem, libros rhetoricos ita memoria tenuerit, ut aut eisdem, quibus ille, verbis posset uti, aut eodem rerum ordine duceretur. Itaque facillime fieri potuit, ut ea ipsa scriberet, quae Ursinus coniectura auguratus est.

Deinde eius sermonis partitio, quo in dialogo cap. 5 Aper eloquentiam summis laudibus efferre incipit, mirum quantum congruit cum eis causis, quibus cives ad iuris civilis scientiam impellendos esse censet Antonius (de orat. I, 41, 185 — 45, 200.). Ut enim hic disputat primum de utilitatis magnitudine (185), deinde de suavitate et delectatione (193), tum de laetitia et voluptate (197), postremo de honore, gratia, dignitate (198), quae bona omnia in virum iuris civilis peritum redundare soleant, ita ille eloquentiae studium maximis praemiis ornari iudicat, cum nihil excogitari possit (dial. 5, 19) *vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium illustrius.* Sed cum in. cap. 6. Tacitus expressis verbis ad voluptatem oratoriae eloquentiae se transire dixerit, fieri non potuisse ratus primum Schulting, ut in orationis illa partitione haec res eaque gravissima omitteretur, inseri iussit: *vel ad voluptatem honestius.* Quem virum doctum recte iudicasse, quamquam alii dissuadebant, mihi quoque persuasum est non quo solo Aprinae, quae sequitur orationis argumento adducar, ut ita existimem, sed quia nescio quo modo etiam in hac re auctor dialogi ita imitatus esse videtur Ciceronis illas iuris civilis laudes, ut laetitiam et voluptatem non taceret. Ac si quis quaerat ex magna coniecturarum copia utrum magis mihi arrideat Schultingii illud *honestius* an alia aut Ritteri aut Classeni emendatio, maxime mihi videtur probabile — id quod etiam Andresen in verba recepit — *vel ad voluptatem dulcius,* quod ab in. cap. 6. petivit Ritter.

Neque desunt loci, ubi, si Ciceronis verba sequimur quaevis difficultas haud scio an facile tollatur aut superetur. Recte enim negavit Andresen ferri posse verba illa, in quibus antea nemo offendisset: *neque oratoris vis et facultas sicut ceterarum rerum angustis et brevibus terminis cluditur* (dial. 30, 26—28). Quamobrem in emendationibus p. 158. pristinam ac veram lectionem ille hunc in modum restitui vult: *sicut ceterae artes certarum rerum brevibus et angustis terminis clauditur.* Schoell autem, cui haec coniectura probari non potuit, deleto uno verbo *(sicut)* legendum esse censuit: *neque oratoris vis et facultas certarum rerum angustis et brevibus terminis cluditur.* Quae coniecturae ut Petero et Steudingio [1]) non displicerent, tantum aberat, ut ille in librorum manu scriptorum verbis conquiesceret, hic verba nonnulla a librariis, quo facilius alia intelle-

---

[1]) Progr. Wurzen 1878. p. 15.

gerentur, addita esse ratus sic locum restitueret: *neque oratoris vis et facultas angustis et brevibus terminis cluditur.* Sed ne huic quidem viro assentior, cum veri mihi videatur esse similius dialogi auctorem spectasse locos quosdam Ciceronianos. Habemus enim in primo de oratore libro: I, 3, 12: *quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis fontibus hauriuntur; I, 11, 46: excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia; I, 12, 52: esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam; I, 5, 17: est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum.* Quae cum legimus haud scio an recte suspicemur excidisse in dialogo substantivum, ex quo pendeat genetivus ille: *ceterarum rerum.* Quid autem potest esse probabilius, quam deprompto ex illis Ciceronis locis substantivo *scientia* — id enim mihi magis placet quam *studia* — verba, de quibus agimus, hunc in modum esse emendanda: *neque oratoris vis et facultas sicut scientia ceterarum rerum angustis et brevibus terminis cluditur?* fieri enim potuit, ut propter litterarum similitudinem (scĩa et sic̃t cf Walther, lexic. diplom. c. 358, 21 et 365, 23) librarii manus et oculi omisso altero verbo ad proximum vocabulum aberrarent.

Deinde ut ad alterum locum transeat dissertatio nostra, Aper postquam poetarum studium ut offensae maxime obnoxium vituperavit, in extrema prioris orationis parte his utitur verbis (10, 43.): *nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri.* Quae etsi tam plane et aperte dicta sunt, ut, quantum scrutando cognoscere potui, nemini adhuc quicquam videretur esse mutandum, tamen adiecto substantivo quodam supplenda esse existimo. Omitto hoc loco eam esse sententiarum concinnitatem, de qua paullo infra viderimus, ut alterum substantivum desideretur, quod respondeat controversiis, non commemoro, id quod constat esse non parvi momenti, necesse videri non modo controversiarum sed etiam aliarum orationum et rerum mentionem fieri, id unum afferre mihi liceat, extare in illo Ciceronis libro, quem iam saepius adhibuimus, locum quendam, quem cum dialogi verbis conferri posse omnes facile concedent. An ab oratione Tacitea magis quam ut respici possint, abhorrere putamus haec Ciceronis (de or. I, 37, 169): *Quid ergo hoc fieri turpius aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur . . . hunc ita labi, ut . . . .?* Mihi quidem, quod supra dixi desiderari substantivum, id in his verbis inesse rato legendum videtur in cap. 10, 43: *nobis satis sit privatas causas et nostri saeculi controversias tueri.* Nam ut praeteream ne hanc quidem rem, nulla est causa, cur Aper duo declamationum genera suasoriarum et controversiarum significasse hoc loco existimemus; dicit enim de munere et de officiis oratoriis, quae comprehendere et complecti vereor ut possimus, si omittimus causas.

De rebus quibusdam in dialogi oratione propriis et peculiaribus.

Nunquam inter eiusdem auctoris libros omnes facile consentient tantam intercedere orationis dissimilitudinem, quantam inter dialogum — pace Weinkauffi dixerim — et cetera Taciti scripta. Itaque fuerunt, qui summa cum diligentia sermonem et copiam verborum, quibus utitur dialogi auctor, tam prope demonstrarent accedere ad dicendi rationem vel huius vel illius scriptoris, ut alii ab alio libellum compositum esse dicerent. Quo in numero ei, qui a solo dicendi genere et a verborum compositione et disputandi argumenta et iudicii causas petiverunt, quamvis eximiam curam et diligentiam adhibuerint, operam et oleum mihi videntur perdidisse. Nam quem quisque librum composuerit, ut in eo quemque non negaverim non solum ingenii sed etiam orationis formam et imaginem expressurum esse, ita omnibus fere eiusdem aetatis scriptoribus tantam contenderim futuram esse et verborum et sermonis communitatem et similitudinem, ut qua in officina opus, ut ita dicam, sit confectum, aliis persuadere videatur esse difficillimum. Itaque recte facit Peter (praef. 11—14), vir ille quidem latinarum litterarum peritissimus, sed cautus in iudiciis sententiisque proferendis, quod cum multa et ab auctore dialogi et a Seneca similiter dicta esse profiteatur, non eo progreditur, ut illum philosophum libelli parentem esse existimet. Sed utut res se habet, id inter omnes satis constat, esse in dialogo orationis aliquid proprium et peculiare, quod tamquam nota libello sit impressum. Ita ut omittam plura, de quibus alio tempore disputare mihi proprosui, in quolibet fere verborum ambitu diligentius expolito miram quandam videbimus singulorum membrorum esse concinnitatem et in maiore parte dialogi singularem apparere orationis ubertatem. Accedit, quod in libello, de quo agimus, tantus extat numerus verborum ab aliis auctoribus aut nusquam aut rarius usurpatorum, ut Schaubachio in quinquaginta duas voces accuratius inquirendum esse videatur, quippe quae ab usitata dicendi ratione abhorreant.[1]) Quas res ut in emendando dialogo neglegamus, tantum abest, ut locos nonnullos nisi respiciamus propriam illam orationis formam sanari posse prorsus negemus.

Itaque de tribus illis rebus, quas modo dixi, ita disserere mihi est in animo, ut, quantum potero, uni alterive vel sermonis vitio vel librariorum errori studeam mederi. Est igitur enuntiatorum et verborum in dialogo tanta concinnitas, tanta saepissime inter singula sententiarum membra similitudo, ut verba verbis, ut ait Cicero, quasi dimensa et paria respondeant. Et quo facilius intellegamus hac potissimum ratione ab auctore orationem ornatam esse, pauca ex magno exemplorum numero afferre liceat, ex quibus in qualibet libelli parte inveniri aequabilitatem illam orationis apparet:

dial. 18, 22. satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus sed supra modum exultans et superfluens et parum Atticus videretur $= 2\ (a + b + c)$.

---

[1]) A. Schaubach, de vocum quarundam, quae in Taciti dialogo leguntur, vi ac potestate. Progr. Meiningen. 1857.

28, 23. Ac non studia modo curasque sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat.

31, 25. Sunt apud quos adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur; apud hos dedisse operam dialecticae proficiet; alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat. (2 (a + b + c); c = substantivum, cui additum est participium.)

17, 32. Ne dividatis saeculum et antiquos ac recentes vocetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt. (2 [a + ($\alpha + \beta$)].)

37, 20. Multum interest utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et civibus trucidatis.

Saepe autem fieri solet, quod etiam ex his Messalae verbis facile colligimus, ut universae sententiae vel altera vel ultima pars aut uno aut pluribus verbis additis amplificetur et dilatetur. Cujus rei exempla haec sunt.

18, 10. Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Gracchus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus.

20, 7. Nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est.

Ac ne raro factum esse existimes, ut in oratione aequabili singula membra inter se tamquam respondeant, in dialogo nonaginta duo mihi occurrerunt exempla huius concinnitatis, quam dicunt, sermonis. Quid igitur mirum, quod ne haec quidem res, cuius tamquam in consuetudinem auctor dialogi venit, nobis neglegenda videtur in verbis emendandis? Est enim, ubi singulae enuntiati partes adeo inter se non respondeant, ut haud scio an iure in verbis non modo offendamus, sed etiam Tacitum ita scripsisse negemus. In his enim verbis, cap. 10, 25—30: *ut si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires dii dedissent (a + b), non paterer immanes istos et ad pugnam natos lacertos* (c + d) *levitate iaculi aut iactu disci vanescere* (e + f), *sic nunc te ab auditoriis et theatris* (g + h) *ad forum et ad causas et ad vera proelia voco* (i + k + l) · incredibile est quam similiter omnia sint descripta et aequabiliter composita excepta ultima parte, in qua pro duobus substantivis tria habemus. Sed diligentius nobis in rem inquirentibus difficillimum videtur explicare, quid intersit inter forum et causas. Praeterea cum incerti dubitemus, quo *causae* referendae sint, utrum ad *auditoria* an ad theatra, mihi quidem illud vocabulum a librario quodam, quo quid significaret *forum* accuratius explicaret additum esse arbitrato legendum videtur: *te ab auditoriis et theatris in forum et ad vera proelia voco.*

Eadem fere via ac ratione progrediamur necesse est ad verba illa, de quibus multum ac saepe disputatum est, emendanda quae in libris manu scriptis sic leguntur (cap. 29, 4):

Horum fabulis et erroribus et virides (A B, et viles C et vires D Δ) teneri statim

et rudes animi imbuuntur. Quisquis enim initium cap. 29. legerit, facile binas voces concedet plerumque ita esse coniunctas, ut concinne et aequaliter fluat oratio. Nulla in re, nullo in scopulo verendum est ne haereamus nisi in virorum doctorum coniecturis, qui pro codicum verbis *et vires* scribendum esse voluerunt *et vitiis* (Eckstein, Michaelis, Peter).

Plerique autem veterum editorum auctoritatem secuti non dubitaverunt omittere *et vires,* quod, unde exortum sit, ne significarunt quidem. Halm autem voces illas verborum quae sequuntur *et rudes* dittographiam esse ratus, cum per fraudem in dialogum irrepsissent, ferri posse negavit. Ut enim tribus illis substantivis turbatur ordo verborum, ita sublatis eis literis, quae in dubitationem vocantur, omnia cadunt aptissime. Itaque cum Halmio, quamquam aliis adductus sum causis, ut ita existimem, facile consentio de emendandi ratione, de depravationis origine non item. Mihi enim Andresen non sine causa (in emendationibus p. 166 sqq.) dixisse videtur dialogum inquinatum esse vario glossematum et interpolationum genere. Atque etiam in hoc loco, de quo agimus, unum verbum alius verbi explicandi causa adscriptum a librariis paulatim in Taciti verba adscitum esse contenderim.

Etenim cum auctorem dialogi verbis parum usitatis non numquam usum esse satis constet, fieri potuisse quis est qui nesciat, ut adscripto adiectivo *teneri* quo explicarentur virides animi paullatim verba mutarentur in eam formam, quam nunc habemus? Quae cum ita sint, Taciti verba ita restitui velim, ut non eiciantur *virides,* sed *teneri* animi. (*horum fabulis et erroribus virides statim animi et rudes imbuuntur.*)

Deinde et sermonis aequabilitate et verborum concinnitate adductus sum, ut lacunam statuendam esse arbitrer in hisce verbis cap. 8, 22: *nunc principes in Caesaris amicitia agunt geruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intelligit (et) ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum sit.* Cuius verborum ambitus cum non solum ad unum omnia membra bipertita esse videamus, sed etiam ea, quae antecedunt, ita composita esse cognoscamus, ut binae voces eaeque similes coniungantur, equidem alterum verbum desidero, quod inseratur post *intellegit.* Atque eo magis recte iudicasse mihi videor, quod particulam *et* in optimis libris servatam non cum omnibus editoribus omittendam, sed tamquam vestigium pristinae ac verae orationis retinendam esse confido. Quod si propter extremorum verborum similitudinem maxime mihi placet, *intellegit et sentit,* depravationis genus ut ait Aper, monstrasse contentus, locum ab aliis rectius emendari posse non invitus concedam.

Veniamus iam ad cap. 32, 16, locum coniecturis illum quidem saepissime tentatum, sed a nullo interprete adhuc probabiliter emendatum, in quo si codicum auctoritatem sequimur, haec legimus: *quod adeo neglegitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum vis* (A), *ius* (B, C, D, E) *quoque cotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.* Etenim quae viri docti iam inde a Rhenani et Acidalii temporibus proposuerunt, si ea omnia animo perlustraverimus, vereor ne ex hoc tanto coniecturarum numero

nulla nobis comprobetur. Ac ne in ea quidem, quam excogitavit Haupt (*quorumvis-cunque* pro *eorum ius quoque*)[1], aut quam Andresen nobis placituram esse sperat *quaevis cotidiani sermonis vitia* legendum esse arbitratus, quamquam propius ad litterarum ductum accedit, mihi videor posse acquiescere. Equidem cum bina vocabula in eis quae sequuntur verbis saepius coniuncta esse videam (foeda ac pudenda, ignorent leges nec teneant senatus consulta, sapientiae studium et praecepta prudentium, in paucissimos sensus et angustas sententias, alia eiusmodi) alterum desidero vocabulum, quod addatur *actionibus*. Duo autem mihi occurrunt vocabula, quae ita inseri possint, ut respondeant actionibus: causae et iudicia. Ex quibus illud praeferrem, nisi alterum facillime potuisset depravari in eas litteras, quae extant in libris manu scriptis. Quae cum ita sint, locum, in quem inquirimus, sic constitui velim: *ut in actionibus iudiciisque cotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.*

Maxime autem in cap. 22, 7. ieiune dicta mihi videbantur esse haec: (Cicero) *locos quoque laetiores attentavit et quasdam sententias invenit.* Nam Aper quamquam neque laudator est temporis acti neque Ciceronis sectator, haud putandus est eo audaciae processisse, ut Ciceronem neget multas easque optimas sententias tamquam lumina orationis protulisse. Itaque offendi in pronomine illo *quasdam,* praesertim cum et summa sit verborum in eo loco concinnitas et priori vocabulo, cui respondent *sententiae,* adiunctum sit adiectivum *laetiores.* Neque vero mihi est in promptu certa de qua non dubitetur emendatio, cum id, quod in mentem mihi venit *praeclaras,* si compendii notas respicis, non tam a codicum litteris recedat quam nimis inane dictum videatur, si cum *laetioribus locis* componitur. Deinde in eis, quae paullo infra leguntur, quo aequabilius procedat oratio, haud scio an recte dubitari possit, an deleta particula *que* legendum sit 22, 10 *postquam magis profecerat usu et experimentis didicerat.* Ac ne forte nos deterreat verbis ex diverso collocatis figura illa, quam Graeci vocant χιασμόν, viginti duo huius rei exempla et ex Apri orationibus et ex aliis dialogi partibus petita afferre mihi liceat. Sunt enim haec: 5, 11 studium poëticae et carminum gloriam, 7, 19 volgus imperitum et tunicatus hic populus, 8, 36 causis forensibus et oratorio studio, 10, 46 probata sit fides et libertas excusata, 11, 1 cum dixisset Aper acrius et intento ore remissus et subridens Maternus — inquit, 12, 17 aut gloria maior (Lipsius) aut augustior honor, 12, 29 quam Medea Ovidii et Varii Thyestes, 12, 11 lucrosae et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus, 13, 24 lubricum forum famamque palantem, 19, 21 praecepta rhetorum aut philosophorum placita, 21, 40 non eminent venae nec ossa numerantur, 26, 4 Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis, 29, 20 non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum, 29, 23 nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate, 32, 19 sapientiae studium et praecepta prudentium, 34, 31 fori auditor sectator iudiciorum, 35, 23 aut pestilentiae remedia aut incesta matrum, 36, 10 leges assiduae et populare nomen, 37, 21 de expi-

[1]) Opuscula III, 450.

latis sociis et civibus trucidatis, 40, 1 contiones assiduae et datum ius, 40, 7 quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant, 40, 11 comes seditionum effrenati populi incitamentum. Est in locis, quos modo commemoravi, unus, de quo pauca dicenda videntur. Ineunte enim cap. 26 haec legimus: *malim hercle G. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis: adeo melius est, oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire.* Ex hac altera enuntiati parte intellegimus ita opponi nimium ornatum orationis nimiae simplicitati verborum, ut haec illi praeferatur. Nihilo tamen secius etiam in impetu et in maturitate aliquid insit necesse est, quod vituperetur. Quod si nullum invenimus exemplum, quo maturitatem accipi posse in malam partem comprobetur, nonne facile in eam adducimur suspicionem, ut Tacitum putemus haec scripsisse: *malim hercle G. Gracchi impetum aut L. Crassi duritatem, quam* . . . . . . Hoc enim vocabulum, quod animo occurrit, etiam si parum usitatum sit in sermone Latino, non prorsus alienum esse a Romanorum lingua et oratione satis elucet ex his Ciceronianis: *Ecce aliqui duritatem et severitatem quandam verbis et orationis quasi maestitiam sequuntur.* (orat. 16, 53.) Alterum locum Ciceroniani de senectute libri (18, 65) afferre non audeo, cum iam non exstet in libris *duritas,* sed a viris doctis ex nonnullis codicibus recepta sit *diritas.* Altera in his verbis exsistit quaestio, utrum particula *vel* ita posita esse videatur, ut sententiae vim augeat (sogar), an melius adiectivum aliquod inseratur, quod cum *hirta toga* coniungatur. Sed iam satis est haec tetigisse.

Deinceps ut erat propositum, transeamus ad orationis ubertatem. Quod enim in Taciti libris viri docti viderunt, solere eum complura vocabula, quae idem significent, ita coniungere, ut saepe verbosus esse videatur [1]), id maxime in dialogo apparere, cum alii, tum Eckstein [2]), Peter [3]) nos edocuerunt. Cuius rei causa non modo mihi videtur profecta esse ex miro quodam studio amplificandi et augendi orationem, quo plerumque uti solent adolescentes et dicendi et scribendi parum periti, sed etiam ex ea, de qua supra dixi, consuetudine sermonem quam maxime concinne et aequaliter conformandi. Facile autem ex libello plus centum viginti conquisivi exempla, quibus auctorem dialogi illi studio indulsisse demonstremus. Sed accusatur Tacitus haud iniuste, quod in dialogo modum excesserit, praesertim cum duo vocabula eaque simillima saepius ita coniungere non dubitaverit, ut non augeatur vis prioris nominis, sed infringatur, ut ipse ait, et debilitetur. Invenimus enim haec: 7, 9 tueri et defendere, 9, 34 elaborare et efficere, 10, 27 robur ac vires, 13, 21 sollicitudinibus et curis, 18, 5 horridi et impoliti et rudes et informes, 20, 8 = 23, 25 nitore et cultu, 27, 3 fracta et deminuta, 33, 11 confirmare et alere, 34, 6 sectari et prosequi, 34, 14 respuat et exprobret, 37, 39 turbidis et inquietis temporibus. Quid? haec si consideramus animis, quibus nullus fere alius

---

[1]) cf. Draeger, Syntax und Stil des Tacitus p. 101—102, al.

[2]) prolegg. p. 80—82.

[3]) praef. 5—7.

scriptor tantopere usus est vel potius abusus, num potest esse cuiquam mirum, quod hoc dicendi usu et ornatu adeo confidamus, ut nonnunquam ad eum confugiamus, cum loci corrupti videntur esse emendandi? Itaque neque in cap. 8 verbo illi intellegendi dubitavi adicere alteram vocem idem significantem (vel *perspicit* vel *sentit*, de qua re supra diximus) neque aliis codicum depravationibus pariter verebor mederi. Ecce, versantur nobis ante oculos, quae cap. 23, 5 in libris manu scriptis invenimus: *nam et haec invitus rettuli, et plura omisi, quae tamen sola admirantur atque exprimunt ei, qui se antiquos oratores vocant.* Significat autem Tacitus eos illius aetatis oratores, qui tanto studio tantaque diligentia antiquitatem amplexi sunt, ut Horatii et Vergilii carminibus pro Lucilii et Lucretii contemptis apud iudices more prisco fabulantur. Quam ob rem si respicimus sententiarum nexum, mihi dubium esse non videtur, quin oratorum illud genus, quod significasse contentus est auctor dialogi, cum antiquitatis speciem prae se ferat, in orationibus et iudiciis imitatum sit et Ciceronem et alios eiusdem vel superioris aetatis viros. Quodsi apud Tacitum legimus, miratos eos esse atque expressisse res veteribus oratoribus proprias, haud scio an irrepere possit in animos nostros suspicio, scripseritne ille haec: *quae tamen sola imitantur atque exprimunt ei, qui se antiquos oratores vocant.* Quam coniecturam ut in medium proferam, non tam impellor sermonis insolentia, qua verbum illud *exprimendi* usurpatur pro *imitando,* aut loco illo Ciceroniano: *imitando effingas atque exprimas* (de orat. II, 22, 90); maxime ut ita existimem, adducor Taciti, de qua modo dixi, consuetudine coniungendi vocabula similia.

Deinde alter est locus coniecturis permultis saepissime temptatus, ubi nemo adhuc vera auctoris verba in codicibus extare ausus est dicere. Messala enim in cap. 26 conqueritur, quod tanta inter oratores et histriones iam intercedat similitudo et orationis et actionis, ut plerique iactent cantari saltarique commentarios suos. *Unde oritur,* inquit, *illa foeda et praepostera, sed tamen frequens sicut his cla et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.* Longum est enumerare, qui viri docti quibus coniecturis emendare conati sint illud perobscurum *sicut his clā et;* itaque ea via et ratione progredi mihi liceat, qua in hoc altero disputationis loco nonnunquam me usurum esse dixi. Et mihi quidem verborum compositionem consideranti et comparanti cum Taciti in dialogo usu et consuetudine, etiam in his verbis singula comprehensionis membra ita auctor videtur amplificasse, ut binas vel ternas voces easque haud dissimiles coniungeret. Facile igitur assentiar Dryandro [1]), qui litteras *clā et* per compendium scriptas esse suspicatur pro *clausula et,* et Schopenio [2]), qui ipse quoque sua opera idem videtur invenisse. Neque enim me deterrent, quae Luc. Mueller [3]) consentiente Steudingio [4]) dixit contra, quominus clausulam in Taciti verba recipiendam esse

[1]) Progr. paedag. Halensis 1851 p. 25—27.
[2]) Progr. gymn. Bonnensis 1858 p. 7—8.
[3]) nov. annal. phil. 97, 421.
[4]) Progr. schol. real. Wurzen 1878 p. 17.

censeam. Rectissime enim Eckstein (prolegg. 81—82) admonet, *ea figurae, quae vocatur ἓν διὰ δυοῖν, in dialogo esse exempla, ubi aut loco adiectivi cum substantivo coniungendi aut ita duplex substantivum ponatur ut alterum vocabulum genetivi partes sustineat.* Quam ob rem his verbis mihi significasse videtur Messala, saepius in orationibus extremam vel enuntiati vocem vel ambitus verborum partem (clausulam) esse exclamationem aut exclamationis similem. Itaque mihi persuaderi non potest, recte iudicasse aut Andresenum ex illo vocabulo (exclamatio) profectam esse dicentem litterarum quae antecedunt obscuritatem, aut Peterum legendum esse existimantem *sicut histrionum exclamatio.* Quod vero Vahlen[1]) Tacitum scripsisse opinatur: *sed tamen frequens ut quivis clamet exclamatio* id propius ad litterarum ductum quam ad vera scriptoris verba videtur accedere. Sed hac una difficultate sublata existit altera quaestio neque ea minus difficilis, quid fiat de reliqua depravati loci parte. Transeo Ribbeckium litteris *sicut his* significari dicentem *saeculi huius*[2]), omitto Steudingii illud *sicut his placet exclamatio* (p. 17.): nam mihi videtur esse opus alia emendatione, qua conservetur sermonis Tacitei aequabilitas. Porro ego etsi non assentior Luc. Muellero, qui in particula *ut* hoc loco aliam inesse vim videtur negare nisi explicativam, tamen melius addito vel pronomine vel adverbio demonstrativo ostendi existimo eorum quae sequuntur verborum naturam quam dicunt consecutivam. Litteris igitur mutatis haud ita multis pristinam ac veram codicum lectionem hanc esse dixerim: *unde oritur foeda illa et praepostera et tam frequens singultibus clausula et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.* Haec verba cum sententiarum nexu optime congruere et ipsa, quid sibi velint, facile intellegi nihil opus est pluribus demonstrare; exponam necesse est ea neque ab oratione, qua utitur auctor dialogi, abhorrere, neque ab eis, quae ab aliis scriptoribus tradita accepimus. Ac primum quidem de exclamatione ita disserunt rhetores et eloquentiae magistri, ut et universam verborum comprehensionem hoc nomine appellent[3]) et verbum singulare cum maiore vocis sive contentione sive moderatione pronuntiatum[4]). Quid quod nonnunquam audimus, eandem exclamationum rationem esse et in foro et in scaena[5])? Sententiae igitur oratorum cum pronuntiarentur saepius, si dialogi auctorem audimus, aut interrumpebantur singultibus aut singultu et exclamatione concludebantur. Deinde non est praetereundum, in eo dialogi loco, de quo agimus, terna vocabula bis coniuncta esse, *(lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis — laudis et gloriae et ingenii loco)* unde propter sermonis aequabilitatem haud scio an recte suspicemur fieri potuisse, ut etiam in eis, quae sequuntur, tria adiectiva

---

[1]) ind. lect. Berol. 1878/79.

[2]) Mus. Rhenan. 32, 309.

[3]) Ad Herenn. IV, 15, 22. Quintil. compluribus locis. Carmen de figuris 79—81. ed. Halm rhet. Lat. min. p. 66.

[4]) Ad Herenn. III, 12, 21. Quintil. XI, 3, 179, ubi Demetrius et Stratocles, comoediarum actores, inter se comparantur.

[5]) Cic. orat. 38, 134—135, unde deprompsit haec verba Quintil. IX, 1, 37—39.

componantur *(foeda et praepostera et tam frequens)* quorum extremum, id quod saepius fieri in dialogo supra vidimus, addita particula amplificatur. *Singultibus* autem per compendium scriptum nimis a codicum litteris recedere quis est qui dixerit?

Restat ut de eis vocibus et dicendi formis pauca dicam, quas auctor dialogi, cum nunquam aut rarissime apud alios scriptores inveniantur, videtur habere propria. Itaque Schaubach, quo dictionem dialogi ad id tempus nondum satis exploratam accuratius cognosceret [1]), magnum verborum numerum in medium protulit, in quae diligentius inquireret. Neque tamen sola scriptoris inscitia aut scribendi insolentia factum est, ut in verba parum usitata saepius incurramus, sed plerumque cum librorum manu scriptorum depravationibus tum auctoris ipsius consilio. Tacitum enim id operam dedisse, ut quam potuisset verissimam retineret formam et speciem illius disputationis, cui interfuit admodum adulescens, ex his cap. 1, 15 verbis facile intellegimus: *ita non ingenio, sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas vel easdem, sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, eisdem nunc numeris eisdemque rationibus persequar servato ordine disputationis.* Quod cum non fugisset viros doctos, non modo Eckstein dialogi auctorem arbitratus est alienum dicendi genus sequi, non suum, alienam sibi voluisse imponere personam [2]), sed etiam alii ex libelli oratione plane discrepante a dicendi genere Taciteo causas repeti negabant licere, cur dialogum a rerum scriptore clarissimo compositum esse negaremus [3]). Et profecto si videmus ab auctore ex hominum ingenio, quos loquentes fecit, orationem ita esse conformatam, ut Aper scholae artificiis uteretur, Maternus omnibus poëtarum veneribus, omni ornatu instrueretur, Messala antiquorum oratorum lumina ostenderet, elegantiam, suavitatem [4]), haud scio an nobis quoque veri simile videri possit, recte Baehrensium illud *eisdemque numeris* mutasse in *eisdem verbis* [5]), praesertim cum numerorum vis ac significatio a nemine interprete, ne a Bernhardyo quidem, quem multi laudaverunt, bene explicata sit. Sed utcumque res se habet, mihi multum videtur valere ad artem criticam in dialogo exercendam cognovisse, quo quemque dicendi genere Tacitus utentem fecerit. Qua de re quid scripserit Klossmann Vratisl. 1819, cum mihi non licuerit inspicere, iam necesse est proferam in medium, quidquid in legendo dialogo notatu digna mihi videbatur vel propter orationis audaciam vel propter discrepantiam sermonis, quem et in illo libello et apud alios scriptores invenimus.

Atque Aper, vir ille quidem ex civitate minime favorabili natus (cap. 7), sed magnis honoribus ornatus, cum contempto veterum oratorum more omnia ad utilitatem ita referret, ut artem poëticam eis, qui facultate oratoria praediti essent, neglegendam

---

[1]) Progr. Meiningen 1857 p. 5

[2]) prolegg. p. 75.

[3]) Steiner progr. Kreuznach 1863 p. 14, alii, quos enumerare longum est.

[4]) Eckstein p. 75.

[5]) Nov. annal. phil. 115, 505.

esse diceret, doctrinam et litteras, quibus eum imbutum et eruditum fuisse testis est Tacitus cap. 2, 17, non tam nesciebat quam ad eloquentiae laudem pertinere negabat. Idemque cum prae se ferret speciem innatae et insitae dicendi facultatis, in eam incidit aequalium opinionem, ut ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutus esse putaretur. Qui si in dialogo diserte et satis ornate disputat, sed nonnumquam verbis utitur ad vulgarem, ut ita dicam, tunicati populi sermonem prope accedentibus, Tacitus videtur eum, praesertim cum in Gallia Aper natus sit, consulto ita loquentem fecisse. Quid si Aprum sermonem instituisse, Maternum orationem habuisse Secundus profitetur (cap. 14, 9—13), nonne ex his verbis facile intellegitur, hunc elegantius et uberius dixisse quam illum? Deinde fieri potuit, ut ille, cum contra dicendi partes sumere soleret (cap. 24, 13), vel reluctandi cupiditate vel pugnandi studio ductus (*acrius, ut solebat* 11, 1, *increpabat* 12, 2, *vis et ardor eius, torrens et impetus* 24, 2) plus quam semel ad ea verba et vocabula delaberetur, quibus neque alius orator neque Tacitus usus esset. Mitto quod maior pars eorum verborum, quae Schaubach in dialogo, ut parum usitata, reprehendit, in Apri orationibus invenitur; — liceat mihi hoc loco proferre, quae mihi notanda videbantur.

a) voces ab aliis scriptoribus aut numquam aut rarissime usurpatae:

5, 30 sin proprium periculum increpuit, 6, 29 lenocinatur voluptati, 9, 3 utilitates alunt, 9, 6 licet aures tuae respuant, 19, 17 odoratus philosophiam, 17, 32 durare (de hominibus dictum), 20, 13 impexa antiquitas, 20, 15 iuvenes in ipsa studiorum incude positi, 21, 30 eiusdem lentitudinis ac teporis libri, 22, 25 olentia, 23, 28 sententiarum planitas.

b) figurae et translationes audacia conspicuae: 3, 16 adeo non te satiant tragoediae istae, quo minus omne tempus consumas modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten, 8, 16 paupertas et angustiae nascentes eos circumsteterunt, 9, 15 Basso versus domi nascuntur, 9, 33 suum genium propitiare, 10, 15 nomen inserere famae, 18, 16 esse unum eloquentiae vultum, 20, 3 quis quinque in Verrem libros exspectabit, quis illa immensa volumina perpetietur, 21, 5 in eodem valetudinario oratores haec ossa et hanc maciem probant, 21, 40 oratio, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, 22, 6 locos quoque laetiores attentavit.

Haec omnia animo recordatus vix dubitaverim, quin unam alteramve vocem, cuius in insolentia interpretes haerebant, ipse Tacitus Apro tribuerit. Et quoniam non sit veri simile, facile fieri potuisse, ut *corona* depravaretur in *cortina* (Ursinus) aut in *concione* (Helmreich) — illud enim vocabulum *cortina* perpaucis librariis notum fuisse dixerim — etsi non contendo, at certe negare non audeo, vocem illam esse unum ex *sermonis cotidiani foedis et pudendis vitiis*, quae cum Messala dixerit illa aetate iam in actionibus disertorum deprehendi (cap. 32, 15—17), haud scio an Aprum carpat eisdem vitiis laborantem.

Alter est locus, in quo multi offenderunt (cap. 17, 11—19), ubi inde a Ciceronis obitu usque ad eum annum, quo institutum est colloquium illud a Tacito memoriae

proditum, centum et viginti anni computantur. Saepissime enim disputatum est de *statione,* quid significet, praesertim cum sextus annus imperii, quo Vespasianus orbem terrarum tenebat, non conveniat cum centum et viginti annorum numero, qui iam inde ab Hirtio et Pansa consulibus praeterierint. Accuratius et diligentius in hanc rem inquisivit Sauppe[1]), qui ut certus ille annorum numerus conficeretur, Schelium et Spengelium imitatus legendum esse voluit *ac novem,* (illi *sex) tam felicis huius principatus stationem, qua* negavitque Tacitum esse auctorem dialogi et ob alias causas et propterea, quod anno p. Chr. n. duodeoctogesimo rerum ille scriptor iam non fuisset admodum iuvenis. Quod utrum recte dictum sit necne, in medio relinquo; id certe constat nullis annorum terminis nos includi, si stationem — id quod non improbavit Ritter[2]), vetuit Orelli—Andresen Vespasiani annorum numerum desiderans — ita accipimus, ut totam principatus curam, ut ait Ritter, stationem appellemus. Neque aliter existimavit Steiner[3]), cum bis quaternos denos Claudii et Neronis annos unam stationem esse opinaretur. Quod ut parum simile veri, ita ne necessarium quidem est, si ad verbum, quod antecedit, *adice* respicimus. Post Augusti enim principatum sex aliae, quae possint adici, sunt stationes (nos dicimus sermone Germanico Posten, Amt, Station), quarum extrema Vespasiani putanda est Galbae, Othonis, Vitellii imperiis in unum annum unamque stationem contractis. Vespasiani autem principatus utrum sextum an alium annum statuamus, hoc loco non diiudicaverim. Quod vero Orelli—Andresen eorum annorum deesse posse numerum negavit, qui ex quo Vespasianus rerum potitus esset, praeteriissent, id mihi vereor, ut probetur, cum nemo eorum, qui aderant, numerum illum ignorasse videatur. Baehrensio haec legenti: *sextum* (scil. annum) *iam felicis huius stationis, qua* etc.[4]), respondeam, nulla opus esse emendatione, cum genetivus *principatus* esse possit explicativus.

Praeterea dignus mihi videtur, quem breviter perstringam et attingam, locus ille cap. 20, 22, in quo Andresen[5]) Nastii interpretationem secutus hanc sententiam inesse arbitratur: freilich nicht aus der schmutzigen Plunderkammer des Attius und Pacuvius, aus dem Heiligthum des Horaz, Vergil und Lukan geschöpft. Etiam in his verbis insolens quaedam vox mihi videtur ita latere, ut posterior pars participii *inquinatus,* quod in codicibus legitur — natus —, respondeat extremo totius sententiae verbo, quod est *prolatus.* Deinde cum mirum sit, quod tribus recentioris aetatis poëtis (Horatio, Vergilio, Lucano) duo opponuntur poëtae veteres in eam deveni suspicionem, ut inverso temporum ordine in litteris, quae reliquae sunt *veterno inqui,* Ennii poëtae nomen praeter substantivum quoddam parum usitatum latere posse opiner. Sed haec hactenus. Iam cum certi nihil habeam, quod proponam, progrediatur disputatio nostra ad dialogi

[1]) Philol. XIX, 256—263.
[2]) ed. Tacit. 1848 vol. IV. 193.
[3]) progr. Kreuznach p. 17. adnot., veritus ille ne quis alius hanc coniecturam sibi vindicaret.
[4]) nov. annal. phil. 115, 510.
[5]) emendat. p. 133.

caput vicesimum septimum magno mendorum et errorum numero maculatum. Nam postquam Maternus admonuit Messalam, ut in promisso staret exquireretque causas eloquentiae corruptae, si librorum manu scriptorum auctoritatem sequimur, hic ita respondet amico (cap. 27, 12): *non sum, inquit, offensus a prima illa disputatione, nam et vos (nam nec C E) offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringat, cum sciatis hanc esse eiusmodi sermonum legem iudicium animi citra damnum affectus proferre.* Quam sententiam laborare duobus vitiis apparet; nam neque ferri potest *a prima* nec quae infra leguntur in optimis codicibus, *nam et vos.* Mitto exponere, cur virorum doctorum coniecturae, quibus hic locus temptatus est, mihi probari non possint. Satis erit dixisse neque Lipsii illud *Aprina* neque Silligii *Apri illa* neque J. Fr. Gronovii *Apri nostri* neque Schurzfleischii aliorumque emendationes adeo mihi placere, ut quid de hac re ipse sentiam proferre non liceat. Etenim cum in Apro, qui acrius et intento ore contra adversarium dicere solebat, vim et ardorem iam supra deprehensum esse viderimus, non alienum mihi videtur a iudicio aut Messalae aut Taciti locum, quem tractamus, hunc in modum restituere: *non sum offensus, inquit, Apri acerrima disputatione.* Facile enim propter similitudinem vel potius congruentiam, ut ita dicam, litterarum librariorum manus a nomine *Apri* ita aberravit ad extremam adiectivi *acerrima* syllabam, ut mira illa codicum verba existerent: *a prima.*

Maternum, ad quem iam devenit oratio mea, si ostendere velim dicendi genere usum esse non minus proprio et peculiari, verear ne in re manifesta et omnibus nota dissertatio mea longa atque diffusa videatur. Tacitus quidem ipse illum concitatum et velut instinctum (cap. 14, 1) artem poëticam summis laudibus extulisse dicit. Et Hessio tam suavis videtur esse et tanta diligentia curaque elaborata eius oratio, cuius extremae parti summo cultu et decore poëtico exornatae nisi numeri et versus nihil deest ad veram carminis speciem formamque, ut neminem ille facilius credat auctorem esse dialogi quam G. Plinium, qui non modo poëtarum fuerit amantissimus verum etiam ipse solitus sit carminibus componendis maxime oblectari.[1] Neque tamen ullam ab hac re medicinam quaerimus, qua verborum corruptorum morbo medeamur nisi speramus futurum esse, ut his duobus locis subveniatur. Messalae enim intervenienti et sese excusanti Secundus haec respondet cap. 14, 11: *delectasset te . . . . Materni pro carminibus suis laeta utque poëtas defendi decebat audentior et poëtarum quam oratorum similior oratio.* Qua in sententia quid sibi velit *audentior*, mihi quidem parum videtur constare, quamquam Andresen nimias artis poëticae laudes reprehendi existimat a Secundo.[2] Nam poëtae et vates cum divino quodam spiritu inflati vel carmina vel sententias pronuntiant, non tam dicuntur esse audentes quam ardere fervore ingenii. Ita Quintilianus — respexisse crederes eius verba Tacitum — haec de Lucano[3]): *Lucanus ardens et con-*

[1]) Hesse, progr. paedagog. B. M. V. Magdeburg 1831 p. 5.
[2]) ed. Lips. 1872 p. 27.
[3]) Quintil. X, 1, 90.

citatus et sententiis clarissimus, sed ut dicam, quod sentio, magis oratoribus quam poëtis imitandus. Quae cum ita sint, etiam in dial. cap. 14 non audentiorem, sed ardentiorem Materni orationem fuisse crediderim. [1])

Ea est igitur Materni oratio, ut distincta quasi coloribus poëticis, verborum cultu et decore exornata sit. Et quoniam eandem dicendi formam, ubicumque verba fecit, Maternus in omnibus dialogi partibus retinuisse veri sit simillimum, ex hac re causa, ut ita dicam, et materia haud scio an recte petatur disceptandae illius quaestionis difficillimae, ubi Maternum orationem eam inchoasse credamus, qua dialogi causam tamquam perorat. Codices enim tragoediarum illum poëtam (cap. 42, 1.) finem fecisse disserendi significant; aggressum eum esse ad dicendum in libris non legimus. Quodsi ea verba fecisse Maternum existimamus, quae ornatu et cultu poëtico sint insignia, inde a cap. 40, ubi nonnulli viri docti lacunam statuerunt, dixisse ille videtur de eloquentia in otiosa et quieta republica non ita florente. Sed haec quaestio aliena est a proposito, redeamus necesse est ad cap. 27, de quo iam supra diximus.

Perpauca sunt verba, quae in hoc capite (27) Tacitus Maternum dicentem facit, sed compluribus vitiis depravata, quorum unum adhuc mihi nondum videtur esse sanatum. Dicit enim Maternus haec: *neque enim hoc colligi desideramus disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paullo ante plane mitiore eloquentia et temporum nostrorum miratus iratus, antequam te Aper offenderet, maiores tuos lacessendo.* Qua in sententia illud *miratus* licet tacite correxeris sive cum Weissenbornio (minus iratus) [2]), sive cum Schopeno (non ita iratus) [3]), alter restat locus, in quo vel gravius offendamus. Nemo enim in verbis illis *paullo ante plane mitiore eloquentia et temporum* latere verbum finitum negabit, ex quo pendeant haec, quae antecedunt, *quas te solitum tractare.* Quam ob rem lacunam statuendam esse ratus Halm inseruit *aiebas,* Ribbeck mutavit *plane* in *profitebare,* [4]) non recusante Steudingio, alii aliam medicinam adhiberi voluerunt secuti illi plerique Lipsium, qui in libro quodam *dixisti* ante *plane* se legisse praedicabat. Mihi autem hic locus, quem adhuc cum probabilitate emendatum esse negaverim, quamvis multi me a codicum litteris nimis recessisse dicturi sint, hunc in modum restituendus videtur: *sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paullo ante placido dixisti ore, eloquentiae temporum nostrorum minus iratus.* Qua in re ut cum omnibus fere mutavi *eloquentia et temporum* in *eloquentiae temporum,* ita retineri velim *ore* ante *eloquentiae.* Deinde adiectivo quodam opus est, quod referatur ad Messalam *iratum,* de quo paullo infra legimus. Quid? si facile fieri posse concedimus, ut etiam in levioribus poëtae cuiusdam verbis cultus poëticus appareat, nonne

[1]) haec biennio fere ante in schedulis conscripsi, quam Baehrensi (nov. annal. 115, 508) coniectura eisdem Quintiliani verbis comprobata oculis occurrit. Itaque non dubitavi ea proferre, praesertim cum Steuding quicquam emendandum esse neget. (p. 16.)

[2]) annal. philol. 33, 66.

[3]) progr. Bonn. 1858, p. 8.

[4]) mus. Rhenan. 32, 310.

maxime est consentaneum, illum nonnumquam depromere audacius dicta ex eis aliorum poëtarum carminibus, quibus maxime delectatur? Atqui Maternus non modo Ovidium Variumque poëtas esse dicit summa laude dignissimos (12, 29), sed etiam ex Vergilii carminibus nonnulla eum petisse et ipse profitetur (13, 20 = Vergil. Georg. II, 475) et nos ex aliis locis facile intellegimus (ut *insanum forum* = Georg. II, 502). Quid igitur mirum quod etiam eis verbis, de quibus disputamus, Maternus inseruit adiectivum illud *placidum* a Vergilio et Ovidio saepissime usurpatum? praesertim cum ei ab utroque poëta adiungatur idem substantivum (os) quo Maternus usus esse nobis videtur. Legimus enim in Vergilii Aeneide, VII, 194: *Atque haec ingressis placido prior edidit ore,* et in Ovidii Metamorphos. III, 146: *Cum iuvenis placido per devia lustra vagantes Participes operum compellat Hyantius ore.*

Longum est hoc loco pluribus exponere de oratione Messalae, quo nemo omnium, qui colloquio a viris doctissimis instituto intererant, diligentius in libris Ciceronianis versatus erat. Idemque cum neque elatione aut altitudine orationis, qua Maternus, neque sermone uteretur non omni ex parte puro et expolito, quo Aper, Ciceronem imitatus est non modo in verbis eligendis et causis proferendis, sed etiam in sententiis conformandis.

Quae orationis natura quantum valere possit ad librariorum errores ex Messalae verbis tollendos, cum iam supra paucis ostenderimus, nunc omissa illa quaestione de dicendi eius genere locos nonnullos, qui videntur sanari posse, breviter absolvere mihi est in animo.

Omnes fere et interpretes et viri docti ante Andresenum Lipsii auctoritatem secuti in. cap. 27. Messalam iterum ad dicendum aggredientem fecerunt his verbis: *non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas etiam* (*etenim iam* C, Orelli, *et iam* Ruperti, *sed tantum* Acidalius, Nipperdey) *si mihi partes assignatis proferendi in medium, quae omnes sentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam et veteres artes descivisse ab illa vetere gloria, non inopia hominum?* Rectissime Andresen (emend. p. 123) illius enuntiati sententiam ita inverti vetat et corrumpi, quasi dicatur: nemini nostrum istae causae, quas requiris, ignotae sunt, etiam si me eas proferre iubeatis. Neque repugnabimus ei haec verba ita emendanti, ut primum *etiamsi* tollatur, deinde diversae sententiae eruantur et aptissime illae quidem inter se coniunctae, postremo ut idonea sit causa, cur in posteriore huius enuntiati parte non solum Maternum, sed omnes, qui adsunt, Messala adloquatur. Sed quod haec omnia facillime fieri posse existimat, si auctore Ritschelio molestissimum illud *etiamsi* mutetur in *sed tamen dicam,* id eum recte dixisse mihi non persuadebitur. Itaque et Baehrens [1]) et Ribbeck [2]) quamquam sententiarum nexum recte restitutum esse censebant, tantum afuit, ut Andreseni coniecturam comprobarent, ut hic ederet *set enim aperiam,* ille *set edam si.* Ac ne Steu-

---

[1]) mus. Rhenan. 31, 312.

[2]) mus. Rhenan. 32, 311.

ding quidem (pag. 8.), qui quomodo corruptela orta esse videatur, accuratissime explicat, animum meum eo adducet, ut librorum manu scriptorum litteras alia ratione melius nos tueri posse negem. Hoc enim modo illa verba haud scio an facile emendentur: *non reconditas, Materne, causas exquiris nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas. Etenim si mihi partes assignatis, proferendi in medium, quae omnes sentimus, quis iam ignorat, et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum?* (denn wenn ihr einmal mich beauftragt, allbekanntes vorzubringen, so frage ich, wem ist jetzt unbekannt, dass die Beredsamkeit und die übrigen Künste von ihrer Höhe herabgesunken sind nicht durch Mangel an Pflege, sondern) Nihil aliud igitur fecimus quam locum particularum *enim* et *iam* mutavimus, quae librariorum errore in eum locum detrudi poterant, quem hodie tenent, si vel in fine vel in initio linearum utraque erat scripta. Pristinae autem et verae lectionis vestigium retinuisse videtur codex Farnesianus, in quo legimus *etenim iam.*

Sua fata eaque satis admirabilia habuerunt illa verba, quibus Messala in. cap. 30. brevissime exponit, quae fuerit rhetorum apud veteres Romanos condicio. Est enim haec codicum lectio: *quorum* (rhetorum) *professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim de curiis* (decurrens E) *referam necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor . . .* In his verbis omnes fere viri docti iam inde a Lipsii aetate eam sententiam inesse arbitrati, ut se de rhetoribus infra dicturum esse Messala promitteret, pro *decuriis* legi voluerunt aut *dicam prius* (Acidalius) aut *statim dicturus* (J. Fr. Gronov) aut simile aliquid (*quando primum introducta est quam nullam . . . habuerit satis declaraturus referam necesse est* Peter). Quod promissum Messala persolvisse illis videtur, quod in. cap. 35. haec de rhetoribus commemorat: *at nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenam scholasticorum, qui rhetores vocantur, quos paullo ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt.* Quid ergo? his perpaucis verbis censemus Messalam satis docuisse, quae in. cap. 30. se expositurum esse dixerat? Accedit id, quod maximum est, quod ille cap. 32, 35, cum ipse suum munus explevisse sibi videatur, alios adhortatur et admonet, ut corruptae eloquentiae causas aperiant neque ipse umquam rhetorum in oratione sua mentionem fecit. [1]) Quod cum vidisset Andresen, quamquam Ritter inserta particula *nunc* locum sanavisse sibi videbatur [2]), recte codicum verba retineri posse negavit (edit. Lips. p. 49.), nisi forte Messalam illum quidem de rhetoribus putaremus voluisse exponere, sed postea una exposita corruptae eloquentiae causa reliquas Materno et Secundo aperiendas delegasse [3]). Neque vero, quod ille suspicatus est (*statim auditurus* vel *cum sit aliud dicturus*) aut Michaëlis (*iam non persecuturus*)

---

